ea quæ sunt in Ægypto tantum gubernet: Orientales autem Episcopi solius Orientis curã gerant, seruatis Ecclesiæ Antiochenæ priuilegijs, quæ in Synodo Nicæna continentur. Sed & Asianæ diœcesis Episcopi ea tantum gubernent quæ ad Asianam diœcesim pertinent: & qui sunt in Pontica, ea quæ in Pontica tantum: & qui in Thracia Thraciæ tantũ curam suscipiant. Manifestũ namque est quod per singulas quasque prouincias Synodus prouincialis administrare & gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicæa definita.] Singulorum talis authoritas in sua quaque diœcesi fuit, vt Patriarchalis nominetur ab Euagrio [a] cùm ait: [Reddidit præterea idem Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ ius Patriarchale, quod Concilium Chalcedonense, vti ante demonstratum est, ei ademerat.] Reuera penè eadem quæ Patriarchæ intra fines Exarchatus gerebant: vt clare probauit antiquitatis peritissimus Sirmondus in Basilio Cæsariensi Episcopo, qui cum diœcesis Ponticæ, cuius Metropolis erat Cæsarea, Exarchus esset, in omnibus Ponti prouincijs eximia authoritatis suæ exempla dedit. Sic in Galatia mortuo Ancyrano Metropolita, se de eligendo in ipsius locum successore anxium testatur scribens [b]: [Cuinam Ecclesiarum curam imponemus?] Sic in [c] Armenia minori eius authoritate Coloniensis Episcopus in Ecclesiam Nicopolitanam Armeniæ minoris Metropolim translatus est. Sic [d] Satalorũ ciuitati eiusdem Armeniæ Episcopũ dedit. Sic [e] ad totius diœcesis Ponticæ Episcopos, vt Cæsaream ad solemnem quotannis martyrum memoriam, & ad Synodum consuetam celebrandã venirent per Epistolam inuitauit. Plus dicam, liberũ nempe fuisse Episcopis & Clericis, quem vellent ex Exarcho aut Patriarcha appellare super sententijs Metropolitanorum examinandis, vt dicitur in decreto Chalcedonensi modo citato. At ne illum ex charitate magis quàm ex officio hæc credas obijsse munia, audi eumdem [f] in Epistolis de Iconiensis Episcopi in Pisidia ordinatione, ad quam inuitatus fuerat, loquentem, eamque peregrinam seu translimitaneam ex hoc vocantem, quod extra Pontum seu propriam suam diœcesim esset: necnon hunc aduerte dubium an ipsi adesse debeat. Ad quid enim talem ordinationem translimitaneam vocaret, eique adesse quasi recusaret, nisi quod ad eam, sicut ad alias suæ diœcesis, quas ex proprio iure & Exarchicæ authoritatis munere faciebat, ex officio non teneretur.

Non tamen Exarchos à Constantinopolitani Patriarchæ authoritate immunes fuisse dixerim. Imo contrarium patet ex Socrate [g], qui mortuo Ephesiorum Episcopo huic sedi Ioannem Chrysostomum alium substituisse scribit his verbis: [Interea temporis, quoniam Episcopus Ephesi fortè è vita migrauerat, Ioannes Ephesum proficisci ad Episcopum ibi designandum necessariò coactus fuit. Qui cum eò aduentaret, & alij alium ad illum dignitatis gradum euehere laborarent, acriterque & acerbè inter ipsos contenderent, dum singuli ei cui fauebant suffragari nitebantur, vtramque partem graui contentionis ardore accensam, eiusque hortatione minimè velle obsequi animaduertens, operam dedit, vti contentionẽ sine vtriusque partis offensione sedaret. Itaque Heraclidem quemdam sui ipsius Diaconum, genere Cyprium, ad Episcopatus illius dignitatem extulit.] Nec minus id quoad Episcopos totius diœcesis ex hoc confirmatur, quod apud Sozomenum [h] plures Episcopos Asiæ & Phrygiæ ab Antonino Ephesino Episcopo or-

a Euagr. hist. Eccl. lib. 3. cap. 6.
Ἐπεπόνει δὲ καὶ θρόνῳ, ἀπεδίδου δὲ τῇ ἐφεσίων καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, ὃ καθ' αὑτὸν ἀφῃρέθη ἐν χαλκηδόνι σινόδῳ.

b Bas. epist 67.
Πρὸς τίνα λοιπὸν τὰς φροντίδας τῶν ἐκκλησιῶν ἀναφέρομεν.

c Idem epist. 192.
Οὔτε ἐκκλησιᾶς Χριστοῦ πιμήνος καὶ διδασκάλε ἀναχώρησις φορτί. &c.

d Idem epist 87.
Ἐξαμήνου καὶ ψηφίσματα περὶ τῆς ἐκκλησίας Σατάλων, παρέκλησιν ἔχοντα διδόναι αὐτοῖς παρ' ἡμῶν ἐπίσκοπον.

e Idem epist. 216.
Τοῦτο χρῶ ἐὰν ᾖ δυνατὸν, παρακαλοῦμεν ἐπὶ τῆς σινόδου τῆδε, ἵνα δι' ἑτέρου ἀγῶνα ἐπὶ τῇ μνήμῃ τῶν μαρτυρίων ΕΥ ψυχῶν φροντίζουσι.

f Idem epist. 291.
Ἐπὶ οὖν ἐπισημότατοι μαρτύρων ΕΥ ψύχοι ἡ Δάμας, &c. ἡ ἐκκλησία, διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα, τῆς ἀρχαίας ἀπολαῦσαι τῆς ἐπισκόψεως ἡμῶν σωλήθειαν.

XII.
EXARCHI CONSTANTINOPOLITANO PATRIARCHÆ SVBDITI.

g Socrat. hist. Eccl. lib. 6. cap. 10.
Αὐτὸς τοίνυν παρακλείδιον τινὰ διάκονον ἑαυτῷ τῇδε κύπριον, εἰς τὸν ἐπισκοπὴν προβάλλετο.

h Sozomenus lib. 8 cap. 6.
Καθελών τε δύο καὶ τρεῖς ἐπισκόπους, τοὺς μὲν, ἐν λυκίᾳ καὶ φρυγίᾳ τοὺς δὲ, ἐν αὐτῇ τῇ ἀσίᾳ (ἑτέρους) ἀντ' αὐτῶν κατέστησε.